Quelle: https://manuscripta.at/?ID=46681
Copyright: Salzburg, Universitätsbibliothek



AD ROMA

et nomini tuo cantabo. Et iterum
dicit. Letamini gentes cum plebe
eius. Et iterum. Laudate omnes
gentes dominum. et magnificate eum
omnes populi. Et rursus ysaias
dicit. Erit radix yesse. et qui exsur-
get regere gentes. in eum gentes sperabunt.
Deus autem spei repleat vos omni
gaudio et pace in credendo. ut abun-
detis in spe. et virtute spiritus sancti.
Certus autem sum fratres mei. et ego
ipse de vobis quoniam et ipse plenus es-
tis dilectione. repleti omni scientia
ita ut possitis alterutrum monere.
Audacius autem scripsi vobis fratres
ex parte tanquam in memoriam vos
reducens. propter gratiam que data
est mihi a deo. ut sim minister ihe-
su christi in gentibus. sanctificans
evangelium dei. ut fiat oblatio gen-
tium acceptabilis et sanctificata in spi-
ritu sancto. Habeo igitur gloriam
in christo ihesu ad deum. Non enim
audeo loqui aliquid eorum que per
me non effecit christus in obedientiam
gentium. in verbo et factis. in virtute
signorum et prodigiorum. in virtute
spiritus sancti. ita ut ab hierusalem
per circuitum usque ad illyricum mare
replenerim evangelio christi. Sic au-
tem hoc evangelium predicatum non ubi
nominatus est christus ne super alienum
fundamentum edificarem. sed sicut
scriptum est. Quorum quibus
non est annunciatum de eo. videbunt.
et qui non audierunt de eo. intelli-
gent. Propter quod impediebar
plurimum venire ad vos. et prohibitus
sum usque adhuc. nunc autem ulterius
locum non habens in his regionibus
cupiditatem habens venendi ad
vos. ex multis iam precedentibus
annis. cum in hyspaniam proficis-
cor spero. spero quod pertransiens
videam vos. et a vobis deducar illuc
cum vobis primum ex parte frui vos
fuero. Nunc igitur proficiscar in
hierusalem. ministrare sanctis. Pro-
baverunt enim macedones et achaya
collationem aliquam facere in
pauperes sanctorum qui sunt hie-
rusalem. Placuit enim eis et debito-
res sunt eorum. quoniam si spiritua-
lium eorum participes facti sunt gen-
tiles. debent et in carnalibus mi-
nistrare eis. Hec igitur cum con-
summavero et assignavero eis fruc-
tum hunc proficiscar per vos in hyspa-
niam. Scio autem quoniam veniens ad vos. in abundantia benedi-
ctionis christi veniam. Obsecro igi-
tur vos fratres per dominum nostrum ihesum
christum et per caritatem spiritus ut adiuvetis me in orationibus
pro me ad deum. ut liberer ab infi-
delibus qui sunt in iudea. et obsequii
mei oblatio acceptabilis fiat in hierusa-
lem. ut veniam ad vos in
gaudio per voluntatem dei. et re-
fugiam vobiscum. Deus autem
pacis sit cum omnibus vobis. amen.

Commendo autem vobis phebem sororem
nostram que est in ministerio ecclesie que est cenchris. ut eam
suscipiatis in domino. digne sanctis.